



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 19. S. Hilarion persecutionem patitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

## §. XIX.

Sæculum IV.  
A. C. 362.*S. Hilarion persecutionem patitur.*

**G**entiles Gazenses alta mente reposuerant injuriam, Deo suo Marnæ a S. Hilarione factam; illud quoque hos Dei sui cultores offenderat, quod suis miraculis multos ab Idololatria avertisset; hinc libellum Juliano Imperatori tradiderunt, & obtinuerunt, ut S. Hilarion unacum dilectissimo suo Discipulo Hesichio ad mortem damnaretur, haud dubie, quod præstigiatores esse crederentur; undique mandata ad eos perquirendos dimissa. S. Hilarion in Ægypto remanserat, nam postquam S. Antonii Monasterium, ubi ad extremum fuerat, invisisset, Aphroditen rediit, & cum duobus tantum fratribus in vicino deserto moratus, abstinentiæ, & silentio studebat tanto Spiritus fervore, ut diceret, nunc se primum incipere Jesu Christo servire. A tribus jam annis, nempe ab obitu S. Antonii, nullæ de Cælo pluvix ceciderant, hinc dicebat populus, elementa etiam viri Sancti mortem lugere; S. Hilarionis famam secuti, turmatim ad eum confluxere viri, fæminæque, quorum facies attenuatæ famem triennem testabantur, rogantes, ut ipse, tanquam S. Antonii Successor, pluvias a Deo impetraret. Tot hominum miseria viri Sancti viscera concussit, atque oculis, manibus-

*Sup. l. XII.*  
*§. 17. Hier.*  
*vita Hilar.*  
*c. 28. Soz.*  
*V. c. 10.*

*Sup. l. XIII.*  
*c. 37.*

*vita c. 27.*



Sæculum IV.  
A. C. 362.

nibusque in Coelum levatis, statim, quod petebat, obtinuit. At ecce terra tamdiu arida, ubi deciduis aquis irrigata est, tanta serpentum, & venenatorum animalium multitudo subito suscitatur, ut hominum plurimi eorum aculeis vulnerati, interissent, nisi opem a S. Hilarione expetiissent; is oleum benedicebat, quo, cum seungerent, certissime sanabantur.

6. 28.

Non tulit vir sanctus honores, quos sibi in illa Regione populus exhibebat; igitur viam, Alexandriam ducentem, ingressus est, ut in Desertum, quod Oasis dicebatur, transiret, & quia ab eo tempore, quo vitam Monasticam profitebatur, nunquam in urbibus habitaverat, ad Monachos sibi notos, in loco, quem Bruchion appellabant, divertit. Sicut vero fratres viri Dei adventus maximo gaudio affecit, ita eodem vespere omnes vehementer mirabantur, quod Discipuli alinum ejus sternerent, & ipse itineri se accingeret; ergo ad ejus pedes accidentes, & jacentes ante januam, protestabantur, mori sibi minus acerbum fore, quam tanti viri hospitio privari. Tunc ait: *propere hinc abire, ne quidquam mali mei causa patiamini; eventus docebit, necessarium fuisse, ut discederem.* Et ecce! sequenti die Gazæ urbis cives, cum Præfetti lictoribus ante Monasterii fores adsunt, quo, sicut pridie audiverant, S. Hilarion advenisset, &



& postquam eum invenire non possent, Sæculum IV. A. C. 362.  
dicebant alter ad alterum: *verum est, quod de hoc viro audivimus, præstigiato-*  
*rem esse, & futura cognoscere.* S. Hila-  
rion relicto Monasterio Bruchion per de-  
sertum inaccessibile penetravit Oasin, ibi-  
que ferme per annum mansit; videns de-  
inde, quod nominis sui fama illuc quoque  
hominum frequentiam adduceret, in in-  
sulas desertas ire statuit, cum in Oriente  
latere non posset.

## §. XX.

*Persecutio universalis.*

Sebaste in Palæstina Pagani aperto S. Jo- Theod. II. c. 7. Ruf. II. hist. 6. 28.  
annis Baptistæ sepulchro, ossa ejus  
combusserunt, cineresque in ventos pro-  
jecerunt. Quædam tamen harum Reli-  
quiarum pars servata est; quidam Mona-  
chi Jerosolymitani cum Sebastem venis-  
sent, ut ibi orarent, impiis illis permix-  
ti, qui hæc ossa ad comburendum colli-  
gebant, furtim aliqua retenta, ad Abba-  
tem suum, nomine Philippum detule-  
runt; is indignum se ratus, qui tantum  
thesaurum possideret, eum per manus  
Juliani sui Diaconi, post hæc in Palæstina  
Episcopi, ad S. Athanasium transmisit.  
S. Athanasius has Reliquias, paucis testi-  
bus præsentibus, in muri concavitate in  
Sanctuario cujusdam Ecclesiæ abscondit,  
dicens Spiritu Prophetico, se eas Poste-  
*Hist. Eccles. Tom. IV.* E ro-